

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

83
G...

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
HUMILI ET MIRABILI
NATIVITATE
MESSIÆ

Quam
EX JESAIÆ CAP. LIII. COMMATE 2.

Juxta Constitutionem
FRIDERICIANAM,

Publicæ eruditorum ventilationi
sistunt,

PRÆSES,

HENRICUS OPITIUS,

S. THEOL. D. ET PROF. ORD. SERENISS. DUCIS RE-
GENTIS SLESWICI ET HOLSATIÆ, IN SUPREMO SENA-
TU ECCLESIASTICO CONSILIARIUS,

&

RESPONDENS,

PAULUS FRIDERICUS OPITIUS,

ah'

Philolog. & Theolog. Cultor.

ad Diem V. Januar. MDCCVI.

hor. & loc. consuet.



KILIÆ, Literis BARTHOLDI REUTHERI, Acad. Typogr.



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
HUMILI ET MIRABILI
NATIVITATE
MESSIAE

EX LEGIBUS CAP. IIII. CONSTAT
JURIS CONSULTORUM
FRIDERICIANAM

P R E S E N T I
HENRICUS OPTIUS

THEOLOGUS PRO ORD. SACR. THEOL. DOCT.
CONSISTORII SACR. PAL. SAPHORUM
THEOLOGICO CONSILIARI

RESPONDENS
PAULUS FRIDERICUS OPTIUS

Philolog. & Theolog. Colleg.
et Divin. N. J. Ann. MDCCCL

KLINGEN, LITHEO. DRUCKER. HANNOVER, AD. TYP.



Decorative floral border at the top of the page.

f. N. f. A.

§. I.



Quod olim Davidi Pfalmus XVI, id mihi semper fuit Caput LIII. Jes. nimirum AU-
REOLUM meum, in quo MESSIAM,
JESUM nostrum natum, passum, mor-
tuum, sepultum & resurgentem intuitus
ac frequenter meditatus sum : unde etiam

ante triennium MESSIAM tanquam unicum Scopum
hujus Capitis LIII. ante biennium verò ex eodem MES-
SIÆ sepulturam & admirandam Dei circa eam provi-
dentiam, ex instituto & in peculiaribus Disputationibus
consideravi, & hac vice, dum MESSIAM hætenus in
præsepio vagientem audivimus, ejus NATIVITATEM
humilem & mirabilem ex hujus Capitis commate 2do
attentiori animo considerabimus. *DEUS EX ALTO
HUIC NOSTRO LABORI BENEDICAT!*

§. 2. Antequam verò rem ipsam aggrediamur, duo
nobis præmittenda erunt, nim. I. *Textus ipse Authen-
ticus* una cum insignioribus versificationibus tum Orientali-
bus, tum occidentalibus, utpote quod jucundum simul
& utile fuerit, unò quasi obtutu ea contemplari.

Ubi (α) Fontes hoc fluunt sensu :

צִיר	מֵאֲרָץ	וְכַשְׂרָשׁ	לְפָנָיו	כִּינֹק	וַיַּעַל
siccitatē terra	ēlradix sicut &	leo corāl	surculus sicut	adscēdit	Et
וְלֹא	וְנִרְאִינוּ	הַדָּבָר	וְלֹא	לּוֹ	לְאֵתְמַרְוֹ
non &	eum vidimus &	decor non &	ei formā non		
				מְרֵאָה	וְנִחְמְדָהּ :
				eū desiderimus (ut) &	aspectus
		A 2		(β)	Tar-

(β) Targum Jonathanis : וַיִּתְרַבּוּ צְרִיקָא קַרְמוֹתָי רַחַם כְּלִכְלִבּוֹן דְּפִרְחוּ וְכִמְיֵלּוּ דְמִשְׁלַח שׁוֹרְשׁוֹתָי עַל נַגְרִין דְּמִין
*Et magnificabitur justus coram eo, ecce sicut surculi, qui
 florent, & sicut arbor, quæ mittit radices suas juxta tor-
 rentes aquarum :*

(γ) LXX. Interpp. Ἀγγεῖλα μὲν ὡς παιδίον ἐναντίον αὐτοῦ,
 ὡς βίβα ἐν γῆ διψώσῃ. καὶ εἶδος αὐτοῦ, καὶ δόξα καὶ εἶδομεν αὐτὸν, καὶ
 οὐκ, εἶχεν εἶδος, ἐπεὶ κάλλος. *Annunciavimus quasi parvulum in
 conspectu ejus: sicut radix in terra sitienti. Non est species ei,
 neque gloria; & vidimus eum, & non habebat speciem, ne-
 que decorem.*

(δ) Syrica versio Latino idiomate expressa: *Ascen-
 dit ut infans coram eo, & ut radix è terra sitibunda, ne-
 que formam habens neque decorem.*

(ε) Arabica: *Narramus coram eo ut puerulum, ut radi-
 cem in terra siticulosa; non est ei species neque majestas:
 & cum intuemur eum, non inest ei forma, neque pul-
 chritudo.*

(ζ) Vulgata: *Et ascendet sicut virgultum coram eò,
 & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque
 decor & vidimus eum, & non erat aspectus, & deside-
 ravimus eum.*

(η) B. Lutheri Germanica: *Denn Er scheußt auff für
 Ihm/ wie ein Reiß/ und wie eine Wurzel aus durren Erds-
 reich. Er hatte keine Gestalt noch Schöne/ wir sahen Ihn/
 aber da war keine Gestalt/ die uns gefallen hätte.*

§. 3. II. *Brevis Vocum singularum Enuclatio.* Mul-
 ta autem in hoc commate tum quoad verba, tum quoad
 res notanda, ut rectè B. Seb. Schmidius Comm. in h. l.
 judicat. Nim. (α) Particula ו, aliàs quidem generaliter
 quam-

quavis Connexionem notat; sed speciales ejus significationes plurimæ sunt, quas laboriosissimus Noldius in Concord. Partic. p. 268. usq; ad 329. diligentissimè collegit. Quidam h.l. adversativè pro *tamen* accipiunt. *Seb. Schmid.* in h. l. vult. copulare ad sensum h. e. qf. versus primus esset positus affirmativè h. m. Res admiranda! populus non credit auditui nostro, & brachium Domini ipsi non revelatur: & (tamen) adscendit sicut planta tenera coram illo. Tremellius vertit per *quidem*. Tigurini, Sanctius, B. Lutherus & Osiander *Causaliter* effe- runt per *Etenim*, quibus meum quoque addo calculum, ut infra Argum. II. videbimus.

(1) *עלה* & *adscendit*, ex Rad. *עלה* quæ notat (1) Propriè *Adscendere* motu locali, e. g. in scala, ut Gen. 28, 12. *וַיַּעַל בְּנֵי יִשְׂרָאֵל מִלֵּאכֵי אֱלֹהִים עִלְיָם וַיֵּרְדוּ בָּו* & *ecce Angeli Dei adscendentes & descendentes in eâ* sc. scala. it. in editiorem locum, ut 1. Sam. 15, 34. *וַיֵּשְׂאוּ עִלָּה אֶל בֵּיתוֹ* Et Saul adscendit ad domum suam, (habitabat enim in Gibeâ.) (2) Impropiè verò notat: *Attolli honore, dignitate & præstantiâ*, alteri præferri e. g. Deut. 28, 43. *Perregrinus, qui in medio tui מעלה מעלה עיך מעלה מעלה adscendet super te sursum, sursum.* At de rore, vapore, visione & quibusdam aliis rebus pro circumstantiis textûs adhibitum interdum notat *absumi, interire, vastari, evanescere*: Sic Ex. 16, 14. *וַתֵּעַל שִׁכְבַת הַפֶּל* & adscendit cubatio roris i. e. evanuit. Sic Ezech. 11, 24. de cessatione visionis, & Jer. 48, 15. de vastatione urbium per ignem usurpatur. Sed de Arboribus, plantis & virgultis adhibi- tum notat *Ortum & incrementum sumere.* Hæc enim dicuntur *adscendere*, quando succrescunt: ut h.l. Sed

quare LXX. & hos secutus Arabs reddiderint : *Et annu-
nunciavimus, narramus*, non apparet.

(γ) Vocabulum פני ex Rad. פנן *suxit* propr. *sugentem, lactentem*, adeoque *parvulum* notat, ut Pf. 8, 5. Ex ore parvulorum פני & sugentium vel lactentium fundā-
fti robur vel laudem : de *arboribus & plantis* notat : *Sur-
culum, ramum tenerum, fragilem*, qui quasi succum ad-
huc infantis instar ex stirpe fugit, uti h. l. Ubi tamen
LXX. & hos sequentes Syrus & Arabs *Parvulum* vel
puerum & Theodotion *lactentem* reddiderunt. Unde
quidam multa hic de Infante & Virgine matre differunt,
ut Sanctius in h. l. observat, qui tamen rectè statuit, no-
tare h. l. *plantam teneram*, & sic Chaldæus Paraphrastes,
R. Sal. Jarchi, Aben Esra & Kimchi, & è Christianis
Vulgatus, Ar. Montanus, Tigurini, Junius & Tremel-
lius & plerique alii : quam etiam significationem confir-
mat subsequens cognatum וְכַשְׁרֵשׁ *& sicut Radix è ter-
ra siccitatis.*

(δ) לִפְנֵי *Coram eò* : quò hoc *coram eò* referendum sit,
disceptant inter se interpretes. Quidam referunt illud
ad Deum, ut ex Hebraeis Aben Esra & R. Dav. Kimchi :
& ex Christianis Dionysius & Hugo ap. Sanctium. Sed
Brentius indefinitè intelligendum putat vel de Deo, vel
de homine aliquo spectatore. Sanctius vertit : *quoad
conspectum* vel faciem suam i. e. erit specie q̄ *virgultum* :
sensu quidem non malo, ut putat Seb. Schmidius in h. l.
sed verbum coactum in istum sensum, ut refutatione
opus non habeat. Nos putamus illud *Coram eo* refe-
rendum esse ad populum Judaicum incredulum, de quo
Propheta præced. vers. i. conquestus erat.

(e) שרש רחמים לחםם 4. Job. 30. שרש propr. Radix. ut Job. 30, 4. *Radix juniperorum est panis eorum* sc. pauperum. Deut. 29, 18. *Ne forte sit inter vos שרש Radix fructificans fel & absinthium.* Metaph. Origo, fundamentum rei, ut Job. 19, 28. Dicetis, quam persequemur eum, שרש sed radix (fundamentum) verbi inventa (inventum) est in me, de cujus sensu v. prolixè Seb. Schmid. adh. l. Interdum sumitur שרש radix *relative* qt. surculus ex ea nascitur: interdum *qualitative*, qt. res humilis est & lentè ac minus feliciter surculos emittit in terra arida, ut h. l.

(ז) ציה ציה è terra siccitatis. Nomen ציה siccitas & velut Epitheti loco tribuitur *desertis*, merâ arenâ petrisvè hispidis constantibus, ubi nullum vel fontem vel stagnum vel rivulum conspicias, scribit elegans interpret B. Geierus ad Pf. 63, 2. & ad probationem hujus significationis rectè adducit loca ex Pf. 107, 35. Jef. 41, 18. inprimis verò hunc nostrum locum Jef. 53, 2.

(ח) תאר תאר non forma ei, תאר propriè idem, quod *forma*, *species*. Hinc Gen. 29, 17. de virgine Rachel Labanis filia dicitur, quod fuerit יפת תאר *pulchra formâ*, & de Josepho Gen. 39, 6. itidem quod fuerit יפה תאר *pulcher formâ*, & de populo Israelitico Jer. 11, 16. quod fuerit Oliva virens יפה פרי תאר *pulchra fructu formæ* i. e. eleganti.

(ט) הדר הדר honor, decor, à Rad. הדר quæ convenit cum הדר *illustris* fuit, unde talem exprimit *decorem*, qui venerationem & æstimum singulare concitat ap. spectatores. Hinc Lev. 23, 40. פרי עץ הדר *fructus arboris decoris* seu elegantissimæ, eratque qui in festo tabernaculorum Deo offerri solebat, & Hebræis communiter *Citrus*

rus arbor esse putatur atque ex Massilia provinciæ defertur, ut Vatablus ad h. l. commentatur.

§. 4. Expositis sic & consideratis singularum vocum significatis confidimus nunc Propositionem hanc Logicam ritè ex Textu nostro deduci posse: MESSIAS *humiliter & mirabiliter natus est.* Ubi (1) *Subjectum* est MESSIAS. Et quamvis is explicitè hic non nominetur, totum tamen Caput LIII. Jesaiæ id satis loquitur, uti ante triennium peculiari disputatione de MESSIA unico Scopo hujus Capitis Jesaiæ prolixè & ex instituto tum ex *συναφεία* & coherencia textus, tum ex N. T. allegatione, tum autoritate Paraphrastæ Chaldæi, Talmudistarum & antiquissimorum Judæorum itemque Christianorum omnium, si illum Anonymum ap. Jac. Martini de tribus Elohim, (qui postea Martinus Seidelius Silesius fuisse, compertus est) & Hug. Grotium exceperis, probavimus. (2) *Prædicatum*, quod hic Propheta de nostro Messia effert, est, *quod Humiliter & mirabiliter natus sit.* Atque hanc (α) *Nativitatem* Propheta exprimit per Verbum *אָדָּמָה* *adscendit*, planè convenienter reliquis vocibus, nim. *Surculo & radici*, quæ cum succrescunt, *adscendere* dicuntur, & quidem uti Jarchi addit ex *semetipso*. Adhibet autem Propheta ubique *Præteritum* pro *Futuro* more Prophetico, ob omnimodam certitudinem hujus de Nativitate Messia vaticinii, licet post 700. demum & quod excurrit annos impleri debuerit. (β) *Humilitatem* hujus natiuitatis elegantissimis maximeque luculentis similitudinibus effert, nim. *Sicut surculus & sicut radix è terra siccitatis seu sitienti.* *Radix* inquam h. l. non *relative*, uti Jes. II, 1. Sed *qualitative* considerata, scil. tanquam res

res humilis, quæ lentè & minus feliciter in tali terra crescit. Comparatio a. in eo consistit, quod sicut in locis fiticulosis & aridis solent quidem aliquando enasci virgulta & surculi: sed quia non habent humorem & terræ pinguedinem, itaque terræ adhærent, nec in altum assurgunt; non sunt jucundi aspectu, non florent, nec videntur aliquem fructum ferre: sic & Christus cum advenisset in carne, & suscepisset prædicatione Evangelii administrandum regnum suum, non fuit insignis amplitudine mundanæ potestatis, non floruit majestatem regiâ, non visus est sapientibus hujus mundi talis ac tantus, qui posset populum suum liberare & servare, sed habitus est velut inutile virgultum & aridus surculus in terra deserta, qui aptior est, quò ignem succendas, aut pedibus conculces, quam è quo fructum speres, ut solidus ille interpres B. Brentius eleganter hæc verba παραφράσει. Et ut humilitatem hanc eò magis nobis depingat Propheta, cumulat hic verba & tandem per Profopopœiam introducit Messiam & omnium oculis quasi exponens de eò dicit: Non forma ei & non decor sive veneratio & æstimum singulare ei. *Quin vidimus eum, sed non erat aspectus:* Et vel ut desideremus eum: aut ut Jarchi & B. Schmidius per Emphaticam interrogationem Affirmativam pro fortissima negativa exprimit h. l. Et desideremus eum? Und wir sollen doch lust zu Ihni haben? quò simul Propheta vehementem affectum Judæorum exprimeret, juxta quem putarent, se optimo jure Christum repudiare. Quamvis ut verum fateamur, hæc magis de statu ejus exinanitionis in genere, quam speciatim de ejus nativitate intelligenda esse putemus.

§. 5. *Mirabilitatem* hujus nativitatibus insinuat Propheta,
 B quan-

quando dicit: *sicut furculus & sicut radix è terra sicca*:
 nam sicut furculus sponte sua prodit ex utero terræ,
 juxta Jarchi ad h. l. ita Messias ex utero Virginis: Id quod
 ipsi Judæi interpp. agnoverunt, dum Messiam sine Patre
 nascendum statuunt, atque hunc nostrum locum pro illa
 sententia adducunt. Sic R. Mose Haddarschan ad Gen.
 37, 22. scribit: מִכֹּחַ אֵין לוֹ אָב מִכֹּחַ אֵין לוֹ אָב Redem-
 tor, quem suscitabo è vobis, non habebit Patrem, juxta
 illud Zach. 6, 12. Ecce Vir צמח nomen ejus, & subter se
 germinabit. Similiter Jes. 53, 2. & ascendit sicut furcu-
 lus coram eo, & sicut radix de terra sitiente. Sic & de
 eo dicit David Ps. 110, 3. Ex utero tanquam ex aurora
 tibi ros natus tua: quorum verborum explicationem
 tradit Talmud. Hierosolym. tract. Berachoth (five de
 Benedictionibus cap. 5. his verbis: מִזֶּה טַעַם לֵךְ מִלְּיָדוֹתָיךְ
 מִזֶּה טַעַם כִּסְלֵי מַמְתָּה' כְּרִבּוּבִים עָלַי עֵשָׂב אֲשֶׁר לֹא יִקְוֶה לְאִישׁוֹלָה
 : מִזֶּה טַעַם לֵךְ מִלְּיָדוֹתָיךְ Quis est sensus Ps. 110, 3. Tibi ros na-
 tivitas tua? sc. qualis sensus est Mich. 5, 6. Quasi ros
 à Domino, & qf. stillæ super herbam, quæ non expectant
 virum, & non præstolantur filios hominum. Quam etiam
 Glossam verbis illis Mich. V. 6. R. Sal. addit: כִּסְלֵי מַמְתָּה'
 : מִזֶּה טַעַם לֵךְ מִלְּיָדוֹתָיךְ Quasi ros à Dominò, qui
 nunquam per hominem demittitur.

§ 6. Et hunc verum commatis esse sensum, probare
 & stabilire possemus pluribus quidem Argumentis,
 sed hac vice quatuor tantū seqq. pro eo producemus: sc.
Argum. 1. Probat id contextus hujus cum præceden-
 tibus non minus, quam sequentibus *coherentia*, quæ uti
 aliàs in quavis explicatione, ita imprimis in Scripturæ
 Exegesi summè necessaria est, maximumque pondus in-
 terpretationi locorum scripturæ addit. Etenim in Ante-
 cedent.

cedentibus Prôpheta humilem hanc MESSIÆ Nativitatem descripturus tanquam incredibilem populo Judaico exhibet, utpote qui expectabat Messiam clarò genere natum, potentia & majestate maximâ præditum, quique ipsos è potestate & tyrannide Romanorum eriperet: Tale quid cum non viderent Judæi in Jesu nostro Nazareno, non credebant eum esse Messiam, sed averfati sunt eum. Unde Propheta noster cum admiratione & sui & Apostolorum nomine exclamat: *Quis credidit auditui nostro sive concioni & verbo nostro audito, & brachium sive potentia Domini per doctrinam Evangelii & miracula Christi sese exerens cui revelatum?* h. e. quam pauci sunt, qui id credunt, non quidem Dei culpâ, quippe qui vult, ut omnes salvi fiant & ad agnitionem veritatis perveniant, 1. Tim. 2, 4. Nam hanc esse illorum verborum sententiam, testatur Johannes Cap: 12, 38. his verbis: *Tot autem signa eo faciente coram eis, non credebant in eum, ut sermo Jesaiæ Prophete impletur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* & Paulus Rom. 10, 16. *Non omnes obedierunt Evangelio: Jesaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro?* Sed cur non crediderunt? nim. quia humili ejus nativitate scandali zabantur: statim enim subjicit Propheta: *Et (etenim) ascendit coram eo (populò hoc incredulò) sicut surculus & sicut radix è terra siccitatis.* Ut ita Particula hic causalem significationem habeat, occasionem & causam sic indicans, quam illi suæ incredulitati prætexerent. In Consequentibus verò Prosopographiam Messiaë exhibiturus Propheta pauperem & contemtibilem ejus vitam, passionem dolorosam, mortem acerbissimam, sepulturam honorabilem, resurrectionem & exaltationem gloriosam

riofam æternumque ejus regnum describit, iisque omnibus in nostro textu humilem Messiaë nativitatẽ præmittit, quã alias, si Textus noster de nativitate Messiaë non ageret, Capite quasi truncata ejus Prosopographia in hoc capite quinquagesimo tertio Jesaiaë exhibita existeret.

§. 7. *Argument. II.* Evincit idem hujus Vaticiniĩ in N. T. exacta impletio, sicut ex Evangelistis, inprimis è Cap. II. Lucaë clarissimè patet, atque certissimum veræ vaticiniorum omnium interpretationis signum est. Et si enim Messias à Prophetis è regia Davidis familia ortum habiturus passim dicatur, adeò ut ap. Hebræos usitatissimè *Filius Davidis* audiat, v. Matth. 9, 27. c. 22, 42. nihilominus, ut humilitatem nativitatis ejus exprimeret, non vocat eum *Arborem magnam & proceram*, uti Nebucadnezar Dan. 4, 8. talis in fornio præsentatus fuit: sed dicit: *Et ascendit scil. è loco humili & depresso sicut surculus & sicut radix è terra siccitatis* nim. vel stirpe Davidis jam humili, vel Virgine Maria in statum adeò depressum abjectã, ut etiam fabro nubere debuerit, nullum proprium domicilium in Bethlehem habuerit, sed in partu ad jumenta & stabulum ablegata fuerit: quin nascente Christo familia Davidis adeò obscura & q̄. emortua fuit, ut, teste *Eusebio* lib. 3. Hist. Eccl. c. 19, 20. ex Hegesippo, cum Imperator Domitianus, perinde ac Herodes, sibi de adventu Christi metuens antea universos, qui a Davide generis sui originem ducerent, interfici jussisset, & diligenter inquisivisset, num adhuc aliqui ex familia Davidis superessent, & inventos inter alios duos homines tenues, qui laboribus manuum suarum ex agricultura ægrè victum sibi quærebant, eos cum

cum de regno Christi interrogasset, & illi respondissent, non esse hujus mundi nec terrarum imperium, sed Angelicum & cœleste, aspernatus vilitatem hominum, nihil asperius de iis decreverit; sed eos liberos abire iusserit. Atque hanc nativitatis Christi humilitatem ne ignoraret posteritas aut ea offenderetur, ante Spiritus S. eam clarâ voce proponere voluit. Etenim ut Magi, qui à partibus Orientis veniebant, Christum adoraturi, nequaquam in stabulo Messiam quærivissent, nisi stella illis dux & monstratrix loci fuisset; ita potuissent & pii dubitare de Christi nativitate, permoti abjectâ illâ & servili formâ, nisi eos Deus ante per Prophetas eâ de re monuisset. Certe magnum humilitatis Christi specimen est, quod Homo nasci voluerit. Sed huic accedit alterum, quod cum ex regia & clarissima familiâ nasci deberet, tamen illud tempus nativitatis eligeret, quò ex summa familiâ nihil tamen splendoris acciperet, ceu ad locum Jes. XI. 2. elegantissimè commentatur B. Snepffius.

§. 7. *Argum. III.* Comprobant id Autoritates (a) Antiquorum Judæorû omnium, utpote qui ante Controversiam cum Christianis motam aut fervidius agitavam Synagogæ suæ mentem multò candidius, quam hodie recentiores Judæi, de Messia aperuerunt. Id quod ante triennium in disputatione de Unico scopo Capitis LIII. Jes. §. 6. seqq. ex Targum Jonathanis, Talmudistis, libb. Zohar, Rabboth, Siphre & Pfikta prolixè demonstravi: Quæ ibid. videri poterunt, ne ea cum tædio hic repetere debeamus. Sufficit interim hic nobis ingenua Confessio R. Alschech Judæi recentioris, quando scribit. *הולפה אחר קצו וקבלו כי על מלך המשיח ידבר רבבני nostri f. m. uno ore statuunt & tradunt, hic (in Cap.*

LIII) de rege Messia sermonem esse. Et quamvis Paraphraſtes Chaldaeus videatur verba commatis noſtri ad quemvis juſtum detorquere velle, quando verba ita transfert: *Et magnificabitur juſtus coram eo, ecce ſicut ſurculi* &c. nihilo minus tamen per hunc juſtum נא' עֲצוֹנָהוּ intelligimus *juſtum illum Dei ſervum Meſſiam* verſ. 11. quiſque *Jehovah juſtitia noſtra eſt.* Jer. 23, 6. c. 33. 16. quandoquidem Targumiſta initium hujus capitis, quod arctiſſime cum hiſ verbis cohæret, de Meſſia expoſuit. Nec minus (β) comprobant id Chriſtiani interpretes omnes, ſi Hugonem Grotium & Anonymum quendam ap. B. Jac. Martini tr. de tribus Elohim exceperis uti §. ſeqv. ſtatim videbimus.

§. 9. *Argum. IV.* Arguit idem Contradictentium perpetua *Fluctuatio & Collifio*, qua uti totum hoc Caput LIII. Jeſaiæ, ita & hoc noſtrum comma de variis aliis ſubjectis, quam de Meſſia explicant, vix ſcientes, ubi pedem tandem figant: quod certiffimum falſitates indicium eſt: ceu id in diſputatione ſupra allegata §. 13. ſeqq. prolixè demonſtravimus. Speciatiim verò ut multa alia prætermittamus (α) Præſentem hunc locum Judæi recentiores communiter de *Populo Iſraelitico* intergentes vivente & contemto explicant. Hinc Raſchi in Op. Baſ. fol. 497. col. 3. הנה הנה הנה Hic populus, inquit, antequam veniret ad magnificentiam iſtam, populus valde depreſſus fuit, & aſcendit à ſemet ipſo ſicut ſurculus ex ſurculis arborum: Et ſicut radix aſcendit ex terra ſiccitatis, cui antea non erat forma aut decus. Et aſpeximus eum, & non aſpectus i. e. cum aſpeximus eum. Sic R. Dav. Kimchi ibid. col. 4. ועל כיוצא בו & aſcendit ſicut ſurculus ex ſemet ipſo, ita ut non ſit ipſi forma, neque decor, ita n. iſte fuit.

fuit. Et sec. sententiam meam, ait, exponendum hoc est de tempore, quo ascenditis ex captivitate coram Deo: ascendit enim ex captivitate modò miraculosò, quemadmodum si ascendat furculus è terra sicca, aut cum inveniat radix arboris aut herbæ, quæ germinat in terra arida, quod est mirum: sic erit mirabilis ascensus ejus ex captivitate. Eodem modo & Aben-Esra exponit, ceu videre est in Opere Basil. fol. 519. col. 1. Similiter Abarbenel Comment. in h. l. fol. 79. col. 3. & 4. de Populo Israelitico explicat, sed ita, ut tamen aliam simul suggerat explicationem eamque sibi propriam nim. de *Josia* rege ejusque juventute pia: Verba ejus sunt seqq. Certe sicut tenera planta assurgebat (*Josias*) coram ipso sc. Deo: nam ab ineunte ætate, cum adhuc puer esset, operam dedit pietati 2. Par. 34, 3. Et tanquam Radix è terra siccitatis: talis enim tunc erat terra Israelis, veri cultûs vacua & velut exsiccata, contra idololatriæ & horroris plenissima. Ipse in illa instar vegetæ radicis, licet ab impiis parentibus, productus est. Sed brevi post tempore nulla amplius ipsi fuit forma neque decor, quando omnis gloria & splendor cum vita & regno ab ipso sublatus est. Imò cum intuebamur eum, non erat species ei: nam improbi Nechonis milites formam ejus corruperant, cum sanguine miserè fœdatus Hierosolymam deveheretur 2. Par. 35, 23. licet nos ipsum, in primis post mortem, vehementer desideraremus, erat enim Princeps, uti piissimus, sic & gratissimus populo. Sed quæ somnio verius, quam veræ scripturæ interpretationi sunt similia.

§. 10. Aliam v. fovet sententiam R. Saadias Gaon; celebris al. Judæus, cui Aben Esra ad Cap. 52, 12. hanc tri-

tribuit, quod sicuti totum hoc Caput, ita & nostrum com-
 ma de *Jeremia* exponat, atque rationes ex convenien-
 tia Cap. 52. v. 15. & cap. 53. v. 7. & 12. petat. Sed quamvis
 ipsi Abarbenel de hac sententia judicet, quod ne unum
 quidem versiculum videat, qui de *Jeremia* exponi possit:
 nihilominus tamen Anonymo illi (Martino Seidelio) ap.
 Jacobum Martini tr. de tribus Elohim lib. 3. c. 105. p. 628.
 itemque Hugoni Grotio Comm. in h. l. ita placuit, ut huic
 in Commentario suo ad h. l. utramque paginam faciat:
 sed tamen ita, ut hunc nostrum locum immediatè & dire-
 ctè de *Jeremia*; mediatè verò & indirectè de Messia intel-
 ligi posse putet: Verba ejus Paraphrasis hæc sunt: *Et ad-
 scendit sicut ramus tener &c.* Sensus est, inquit, *Jeremias*
 adhuc puer Deo servire in Prophetico munere incipiet.
 vid. Jer. 1, 6. Sic Dominus Jesus anno ætatis duodecimo
 Doctores docuit. *Et sicut Radix de terra sitieme* i. e. na-
 tus est in paupere viculo Anathoth Jer. 1, 11. & sic
 Bethlehem Jesu tempore vico quam oppido proprior
 Joh. 7, 42. *Non est species* juxta Grotium: Nihil magnifi-
 cum in vultu præfert, macer & mæstus. Sed quæ ex-
 positio, si Grotii non esset, non sani hominis esse putes
 quamque nos in disput. nostra aliquoties allegata §. 19.
 prolixè refutavimus, ut ita opus non sit vel verbulum
 addere. Concludimus itaque hanc disputationem no-
 stram gravissimis verbis B. Jac. Martini tract. de tribus
 Elohim lib. 3. c. 105. p. 622. *Sanè si universa Hebræorum
 natio & tota Semi-judæorum factio, imò totus mundus hac
 in parte à nobis dissentiret: in promptu tamen sunt in ter-
 ra quædam argumenta, quæ omnia contradicentes convincunt,
 & manifestissimè mendacii arguunt.*

Tantum hac vice

S. D. G.

Fd 5611

ULB Halle

3

002 715 18X





PH 306

VD 77

NC







DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
HUMILI ET MIRABILI
NATIVITATE
MESSIÆ

Quam
EX JESAIÆ CAP. LIII. COMMATE 2.
Juxta Constitutionem
FRIDERICIANAM,

Publicæ eruditorum ventilationi
sistunt,

P R Æ S E S,

HENRICUS OPITIUS,
S. THEOL. D. ET PROF. ORD. SERENISS. DUCIS RE-
GENTIS SLESWICI ET HOLSATIÆ, IN SUPREMO SENA-
TU ECCLESIASTICO CONSILIARIUS,

&
RESPONDENS,

PAULUS FRIDERICUS OPITIUS,

Philolog. & Theolog. Cultor.

ad Diem V. Januar. MDCCVI.

hor. & loc. confvet.



KILIÆ, Literis BARTHOLDI REUTHERI, Acad. Typogr.